

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Commentatio Theologica Ad Qvæstionem LXXX.
Catechismi Palatini**

Gebhardi, Brandanus Heinrich

Gryphiswaldiæ, [MDCCXX?]

VD18 10460977

Historia Catechismi Palatini.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17180

lis mota est de CATECHISMO suo HEIDELBERGENSI, utpote cujus exempla omnia sibi tradere, hacque ratione catechismum ipsum prorsus abolere jussit Elector. Mandatum ipsum, una cum *Theologorum & Inspectorum Ecclesiar. Reform. in Palatinatu exceptionibus*, insertum est *Fascic. V. Classis 2. Biblioth. Hist. Philol. Theologicae*, Bremae hodie prodeuntis. Præcipue vero *Quæstio 80.* fudes est in oculis Pontificiorum, quam præ cæteris expungi volunt. Placet ad eam, in gratiam Studiosorum, nonnulla commentari, præmissa brevi Catechismi historia. Quod ut feliciter evenire jubeat DEUS T. O. M. precamur.

HISTORIA CATECHISMI PALATINI.

DOcent historiarum monumenta, haud raro falsos doctores, & imprimis etiam REFORMATOS, ubi, oppressa veritate, hæresin suam intrudere ausi sunt, CATECHISMI LUTHERI depravatione, aut plenaria abolitione aliisque surrogatione initium fecisse, facile nempe perspicientes, non parum ad dogmata sua propaganda conservandaque conferre, si tenera juvenus à primis ungviculis, & cum lacte quasi materno eadem imbibat. ANDRÆ OSIANDRI hoc fuisse institutum, qui Norimbergæ novum conscripserit Catechismum, Prussicis deinde ecclesiis obtrudendum, cui error de *Justificatione hominis peccatoris per essentialem DEI justitiam* insertus fuerit, *Synodus Salsfeldensis* refert apud WIGANDUM in *Historia Osian- drismi*, pag. 337. 352. 353. Idem in *Saxonia* tentasse *Interimistas Pontificios*, sua ætate querebatur FLACIUS. Vid. SONTAGII *Ἐπιόγωνα de Quorundam Theolog. Sec. 16. & 17. eru- ditione* &c. pag. 121. Idem fuit consilium *Crypto-Calvini- starum*,

starum, Saxonicas ecclesias binis vicibus turbantium. De prioribus constat, eos ex Corpore Doctrinæ Philip-
pico latino novam composuisse catechesin latinam,
Calvinianis phrasibus refertam, auctoritate PEUCERI
juventuti in scholis Saxonis tradendam. Vid. HUT-
TERI *Conc. Conc. Cap. 2. p. m. 138. Cap. 8. p. 234. 235. 243.* Conf.
tamen *Historia carcerum & liberationis Cass. Peuceri, P. 1.*
pag. 437. Sed ipsum quoque LUTHERI catechismum depra-
varunt, sub LUTHERI nomine deinceps evulgatum, ut
eo facilius imperiti deciperentur. Raro hujus corru-
ptionis in scriptis Theologorum fit mentio. Non ergo
ingratum fore Lectori confido, si, quæ hac de re sese
mihi obtulerunt, referam. JAC. ANDREÆ in denent 5. Pre-
digten von dem Werck der Concordien / *Conc. 4. 3.* sequen-
tia nobis reliquit: Dergleichen haben auch etliche mit
Doct. Luthers seeligen herlichen Catechismo gehandelt/
den sie nicht allein offenbarlich verfälschet / und besonders
im Artikel vom heiligen Abendmahl seine Worte hinweg-
gethan / und andere an die stat gesetzt / und gleichwol sol-
chen verfälschten Catechismum unter Doct. Luthers
Nahmen verkaufft / *ic.* Qualis vero hæc fuerit corru-
ptio, SCHLÜSSELBURGIUS refert in *Theologia Calvinist.*
Lib. 2. art. 6. f. m. 56. b. PETRUS PRÆTORIUS, *Calvinismæ*
propagator & propugnator in urbe Dantiscana, (antea Pastor
Cizensis, post Dantisci sacrum munus adeptus, quò,
male sibi metuens, aufugerat, teste WIGANDO de *Sacra-*
mentariismo, fol. 416. a.) tanquam manifestus falsarius & depra-
vator, Catechismum D. LUTHERI, in gratiam Calvinistarum, in
articulo de Baptismo & de Cœna Domini pessima fide mutavit,
mutilavit & adulteravit, sicut ea de re nostrarum ecclesiarum
doctores profugum PETRUM publicis scriptis accusarunt; utpote



Theologi Comitatus Gretzensis, Gerardiensis & Schönburgensis.
 Item Jenenses Theologi anno 71. Item D. HESHUSIUS anno 64.
 Item fidelis & præstans Theologus p. m. M. CONRADUS PORTA
 anno 76. Item D. JAC. ANDRÆE anno 80. Quibus Theologis
 PRÆTORIUS hodierno adhuc die nondum respondit. Detestandum
 est autem, quod falsarius PRÆTORIUS suum sacrilegium sub
 LUTHERI Catechismi nomine & auctoritate obtegere conetur.
 In doctrina de Baptismo omisit verba de vi & efficacia baptismi.
 Nam ubi D. Lutherus ex verbo DEL in suo Catechismo docet, quod
 baptismus operetur remissionem peccatorum, liberet à morte & à
 Diabolo, & donet omnibus credentibus aeternam salutem: ibi PRÆ-
 TORIUS fugitivus cum CALVINO & BEZA in suo falsato Catechismo
 asserit, baptismum esse tantum signum, sigillum seu obsignationem
 gratia propter CHRISTUM promissa. Definitionem sacramenti
 altaris PRÆTORIUS omisit, & loco illius ambiguum substituit,
 scribens: Sacramentum esse fructum corporis & sanguinis CHRI-
 STI. De posterioribus hæc habet GEORG. MYLIUS in Comæ-
 dia Misnica: Hinc antiquatis veteribus, quippe Lutheranis, tum
 precatiorum, tum Psalmidarum etiam formulis, nova, ad chore-
 arum saltum, quam chori ecclesiastici concentum, magis aptata,
 invehantur. Nova scribebatur catechesis: nova typis excu-
 debantur Biblia, quibus tota latrina stercoreum Calvinianorum
 infarta. Quid in ecclesiis Cassellanis tentaverint Refor-
 mati, ex GIESSENSIUM Ausführlichen special-Wiederle-
 gung der Casselischen Wechsel-Schriften/ P. I. c. 17. Quid
 in Bipontinis, ex HUTTERI Conc. Conc. Cap. 51. pag. 1277.
 & WITTENBERGENSIUM Gründlichen Beweis/ daß die
 Calvinische Irthum den Grund des Glaubens betreffend/
 P. II. pag. 362. 367. discere licet. Ita ergo Satanas in pro-
 pagandis erroribus his imprimis uti novit artibus, quæ
 veritati non possunt non maximum adferre damnum.

Cate-

Catecheticis nempe formulis à primâ statim infantia animi imbuuntur. His ergo si hæreses infilles, deinceps ægerrime sanior doctrina admittitur. Hoc probe perspicientes REFORMATI, quamprimum à FRIDERICO III. Electore in Palatinatum admissi sunt, quod contigit circa annum 1560. referentibus WIGANDO in *Hist. Sacramentarii* pag. 360. b. 369. b. 390. b. & Auctoribus *Hist. Aug. Conf. contra AMBR. WOLFFIUM*; ad annum 1559. 1560. de nova conscribenda catechesi, suis dogmatibus referta, consilia inierunt. Res quoque ex voto cessit. Jussu enim FRIDERIGI, ZACH. URSINUS & CASP. OLEVIANUS, Theologi Heidelberg. libellum conscripserunt, anno 1563. Latino Germanicoque idiomate, præfixo Electoris nomine, publice editum, hujusque mandato in scholis & Ecclesiis Palatinis tradendum: Quam editionem deinceps infinitæ aliæ secutæ sunt. Calvinianis dogmatibus de negata præsentia carnis CHRISTI in his terris, de descensu ad inferos metaphorico, de Sessione ad dexteram DEI locali, de virtute sacramentorum mere significativa, de negata reali unione corporis & sanguinis CHRISTI cum symbolis eucharisticis, de potestate clavium non operativa, sed denunciativa, de divisione Decalogi, &c. Catechismum hunc scaterè, ipsa ocularis inspectio docet. Imo, primum ejus fundamentum, seu principium omnium reliquorum dogmatum esse doctrinam de absoluto electionis & reprobationis decreto, observat JOH. MEISNERUS in *Exam. Catech. Palat. pag. 38.* Cæterum vero, si methodum spectes, quæ primo de miseria hominis lapsi, deinde de redemptione ejus, & denique de officiis gratitudinis, ad normam legis præstandis, agitur, si copiam dictorum biblicorum spectes,



aliqua laude libellum hunc dignum esse, facile concedimus, in eo tamen utique nostro postponendum, quod magis adultiorum & doctiorum, quam juniorum captui est accommodatus, multasque continet quæstiones, puerile ingenium superantes, ipsis non diffidentibus Reformatis in *Actis Synodi Dordrac. pag. 49. ed. Dordr. 1620. in 4.* A Reformatis interim extra Palatinatum quoque passim receptus, imo in SYNODO DORDRACENA, anno 1618. & 1619. habitæ, ecclesiarum Reformatarum liber Symbolicus unanimes consensu publiceque declaratus est, qui genuinam veramque Reformatorum doctrinam contineat, & ad quem tuto provocare liceat. Ita enim decreverunt Sessione 148. *Declaratum fuit consentientibus omnium, tam exterorum, quam Belgicorum Theologorum suffragiis, doctrinam in Catechesi Palatina comprehensam, verbo DEI in omnibus esse consentientem, neque ea quidquam contineri, quod, ut minus eidem consentaneum, mutari aut corrigi debere videretur, ipsamque hanc catechesin esse admodum accuratum orthodoxæ doctrinæ christianæ compendium; singulari prudentia non tantum ad teneræ adolescentiæ captum, verum etiam eorum, qui adultiores jam essent, commodam institutionem accommodatum. Ac proinde eam in ecclesiis Belgicis magna cum adificatione doceri posse, atque omnino retineri debere: in Act. Synod. pag. 366.* In eadem dignitate deinceps confirmatus est Hagæ Com. anno 1651. Nec ad scholasticum quis in Belgio admittitur officium, nisi subscriptione hunc librum probaverit. De universali ecclesiarum Reformatarum consensu circa hunc Catechismum, ejusque auctoritate Symbolica, testantur quoque factæ plurimæ in alias lingvas translationes, *Latinam nempe, Belgicam, Saxoniam, Britannicam, Gallicam, Italicam, Bohemicam, Hungaricam, Græcam* etiam

etiam ac *Hebraam*, & tandem in *Indicam*, à JOH. MEISNERO recensitæ. l. c. pag. 35. Varios in librum hunc calamos suos strinxisse adversarios, facile intelligitur, quorum tamen ictus excipere studuerunt Reformati. Ex LUTHERANORUM ordine jam anno 1565. Theologi MANSFELDENSES in *Confessione sua* errores de descensu CHRISTI ad inferos, de ascensione CHRISTI & negata præsentia humanæ CHRISTI naturæ in his terris, de effectu Sacramentorum, & seorsim Baptismi atq; S. Cœnæ, item de præsentia C. & S. C. in S. C. negata, de fractione panis, de Iconomachia, notarunt. Jam ante eos anno 63. FLACIUM atqve HESHUSIUM scriptis Catechismum confutasse, quibus tamen ZACH. URSINUS Electoris jussu defensionem opposuerit, refert ERDM. UHSE im *Leben der berühmtesten Kirchen-Lehrer des XVI. Jahr-hunderts* / 10 pag. 402. Prolixius vero 58. quæstiones priores sub examen vocavit JOH. MEISNERUS, Theol. Witteb. REMONSTRANTES quoque non simpliciter recipiendum esse putabant, justum flagitantes examen, debitamq; correctionem: Contra quos H. ALTINGIUS *Explicationem catechetica*m emisit anno 1646. Ex PONTIFICIIS quoque nonnulli eum confutare ausi sunt, à BENTHEMIO unâ cum Reformatorum responsionibus allegati in *Holländischen Kirchen- und Schulen-Staat Cap. 6.* ubi plura alia notatu digna reperies. Inprimis vero hodie Pontificios Palatinos offendit *questio 80.* contra MISSAM concepta. De hac cum nobis jam dicere animus est, merito præmittimus ipsa Catechismi verba, ita fluentia: Was ist für ein Unterscheid zwischē dem Abendmahl des Herrn, und der Pābstlichen Mess? Das Abendmahl bezeuget uns, daß wir vollkommene Vergebung aller unser Sünden

Den



den haben durch das einzige Opfer Jesu Christi / so Er selbst einmahl am Creutz vollbracht hat: Und daß wir durch den heiligen Geist Christo werden eingeleibet / der jezund mit seinen wahren Leib im Himmel zur Rechten des Vaters ist / und daselbst wil angebetet werden. Die Mess aber lehret / daß die Lebendigen und die Todten nicht durch das Leiden Christi Vergebung der Sünden haben / es sey denn / daß Christus noch täglich für sie von den Mess-Priestern geopfert werde: Und daß Christus leiblich unter der Gestalt des Brodts und Weins sey / und verhalben darin soll angebetet werden. Und ist also die Mess im Grund nichts anders / dann eine Verläugnung des einzigen Opfers und Leidens Jesu Christi / und eine vermaledeiete Abgötterey. Quid hac quæstione continetur, facile apparet. Differentiam nempe Sacræ Cœnæ & Missæ Pontificiæ ostensuri Reformati, duo tradunt: (1) Doctrinam suam de Sacra Cœna. (2) Sententiam suam de Missa Pontificia.

PARS I.

Doctrina Reformatorum de Sacra Cœna.

§. I.

IN priori hac parte primo loco notam9 nomen SACRÆ COENÆ. Sacrum hoc epulum, quo DEI Filius, dulcissimus Salvator, sanguine suo parta beneficia nobis applicare cupit, varias alias sustinet appellationes, quas peculiari *Onomastico-eucharistico* collegit THEOPH. RAYNAUDUS *Jes. To. VI. Opp. f. 191.* Catechism9 Palatin9 merito COENÆ nomē, à tempore institutionis ab ipso Paulo *1. Cor.*

XI. 20.

